



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Cap. I. De Adoratione, oratione, & speciatim de horis Canonicis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

Deum, quàm objecta aliarum virtutum moralium.

Actus præcipui Religionis sunt adoratio, Sacrificium, oratio, devotio, quæ est prompta, & efficax voluntas præstandi ea, quæ ad Dei obsequium pertinent: item laus Dei, gratiarum actio, votum, iuramentum, administratio, & susceptio Sacramentorum, &c.

Porro tenemur Deum colere non solum actibus internis, sed etiam externis, nam cum spiritu, & corpore constemus, tenemur utriusque actibus colere Deum, utpote utriusque principium.

## CAPUT I.

*De Adoratione, Oratione, & speciatim de Horis Canonicis.*

*Q. I. Quid, & quoruplex est Adoratio?*

*Resp.* Adoratio latè sumpta est actus, quo testificamur alterius excellentiam, & nostram erga illum submissionem ob eius excellentiam. Hinc complectitur non solum excellentiæ alterius significationem, qui est propriè honor: sed etiam submissionem, & hujus testificationem, quam utramque superaddit honori. Consistit formaliter tum in voluntate testificandi  
ex-

excellentiã alterius, & se illi submittendi, hujusque submissionis signum exhibendi ob ejus excellentiam: tum in exhibitione talis signi.

Adoratio latè sumpta dividitur 1. in Latriam, quæ exhibetur Deo ob increatam, & infinitam ejus excellentiam: in Duliam, quæ exhibetur Sanctis ob eorum creatam excellentiam supernaturalem: in Hyperduliam, quæ Sanctissimæ Virgini Dei Matri ob singularem ejus supra omnes Sanctos & Angelos excellentiam supernaturalem creatam exhibetur: & in Politicam, quæ defertur viris Principibus, Sapientibus, &c. ob creatam excellentiam naturalem, ut potentiam, sapientiam, &c. 2. In absolutam, qua persona adoratur propter excellentiam sibi intrinsicam: & in relativam, qua aliquid adoratur ob excellentiam personæ, ad quam habet habitudinem aliquam, vel conjunctionem.

Adoratio verò strictè sumpta est cultus Latriæ Soli Deo debitus, consistens in actu, quo testificamur increatam, ac infinitam Dei excellentiam, & nostram summam submissionem erga Illum, agnoscimusque supremum Ejus in res omnes Dominium, juxta illud Matt. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & Illi soli servies.* Constat autem 1. Solum Deum adorandum esse cultu Latriæ, Sanctos verò colendos esse cultu Dulæ, & B. V. cultu Hyperdulæ.

Ii 5

Nam

Nam adoratio debet esse commensurata excellentiæ, cum propter illam exhibeatur. 2. Christi, B. Virginis, & Sanctorum imagines, & Reliquias colendas esse cultu relativo proportionato personæ, cujus sunt. Adoratio enim imaginis consistit in signo aliquo externo submissionis, ac reverentiæ exhibito imagini propter excellentiam prototypi, ad testificandum submissionem nostram internam erga ipsum prototypum, hujusque excellentiam ac superioritatem agnoscendam, ex Trid. Sess. 25.

*Q. 2. An & qualis Oratio est precepta?*

*Not.* Oratio latè est Ascensio mentis in Deum: sive quivis pius animæ motus, seu affectus in Deum, qualis est actus Fidei, Spei, Amoris, laudis, gratiarum action, &c. Strictè sumpta est petitio decentium Deo facta sive immediatè, sive mediante Sanctorum intercessione. Duplex est oratio, scilicet mentalis, quæ fit sola mente: & vocalis, quæ non solum mente fit, sed etiam voce exprimitur. Hæc dividitur in privatam, quæ fit à persona privata, ac privato nomine: & in publicam, quæ fit à Communitate, vel à Ministro nomine Communitatis: hinc recitatio Breviarii, privatim à Clerico facta, est oratio pub-

publica; quia nomine Ecclesiæ, & tanquam ejus legatus eam fundit.

*Resp. 1.* Oratio frequens est omnibus adultis præcepta. Prob. 1. Luc. 18. *Oportet semper orare, & non deficere.* Hoc est, oportet orare frequenter, & perseveranter. &c. c. 21. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, & stare ante Filium hominis.* 2. Quia sine oratione debita non obtinentur auxilia omnia necessaria ad observanda omnia mandata, & ad vincendas tentationes, ex Jac. 4. *Non habetis, propter quod non postulatis: & imprimis donum perseverantiæ non est præparatum adultis nisi orantibus, ut docet S. August. l. de bon. Persever. c. 16.* Quare Catechism. Roman. ait: *preces tanquam instrumentum necessarium nobis dedit (Deus) ad id, quod optaremus consequendum, præsertim cum quadam esse constet, quæ nisi Ejus adjumento, non liceat impetrare.*

Hinc oratio est adultis necessaria etiam necessitate mediæ ad salutem, cum Deus statuerit non dare gratiam perseverantiæ, & alia quædam necessaria, nisi orantibus.

Præceptum autem orandi obligat in gravi necessitate, ac tentatione propria, vel proximi, & sæpissime in vita, quia continuo Dei auxiliò egemus, & ad illud obti-

nen-

nendum instituta est oratio tanquam medium ordinarium.

*Resp. 2.* Oratio debet esse pia, & honesta: alioquin non esset actus Religionis, nec cultus Dei. Ut talis sit, debet fieri cum intentione, attentione, fide, fiducia, humilitate, devotione, decenti, ac pia corporis compositione, & de rebus necessariis, vel conducentibus ad salutem, & ad gloriam Dei: ita, ut res de se indifferentes non petantur, nisi quatenus ex Dei ordinatione, & cum eius gratia possunt conferre ad eius gloriam, & salutem nostram. Porro mortale est petere à Deo rem malam etiam venialiter, vel auxilium ad illam: quia in hoc est gravis irreverentia in Deum, quasi esset author vel fautor peccati.

*Q. 3. Quinam obligantur ad Horas  
Canonicas?*

*Not.* Horæ Canonicæ sunt Oratio vocalis, publica auctoritate Prælatorum Ecclesiæ constituta, ut quotidie certis horis nomine Ecclesiæ recitetur, ad laudandum, & precandum Deum.

*Resp.* Secundum omnes Doctores, ad eas sub mortali singulis diebus obligantur. 1. Omnes insigniti aliquo ex sacris ordinibus, etsi non Beneficiati; imò etiam excommunicati, & degradati, cum nul-

lō privilegiō ab hoc onere liberentur, nec æquum sit, ut commodum ex delicto reportent. Subdiaconi autem incipiunt obligari ipso die suæ Ordinationis, saltem ad partem respondentem Horæ, in qua ordinantur; nam cum obligentur ratione Ordinis sacri, statim illo suscepto obligantur.

Porro sunt, qui docent Clericum, qui totum officium recitavit, antequam ordinem, vel Beneficii Possessionem caperet, teneri iterum recitare partem Officii respondentem Horæ, in qua cœpit obligari: tum quia observatio præcepti supponit obligationem contractam: tum quia Horæ Canonice recitantur à Clericis nomine Ecclesiæ: & ante Subdiaconatum, vel Beneficii adeptionem Officium non recitatur nomine Ecclesiæ, cum nondum quis sit Minister ad hoc deputatus.

2. Omnes Religiosi, & Moniales, Professi, & ad Chorum deputati, etiam fugitivi, ejecti, & ad triremes damnati; nam hi manent verè Religiosi, ideoque obstricti obligationibus Religionis, quibus si possunt satisfacere tenentur, culpa enim nemini debet suffragari. Hæc obligatio in Clericis non Beneficiatis, & Religiosis ac Monialibus recitandi etiam privatim, si in Choro non recitaverint, oritur præsertim ex antiqua, & universali Ecclesiæ  
con.

consuetudine vim Legis habente, & fundata in eorum statu ad Dei cultum instituto: & constat ex communi usu, & consensu totius Ecclesiæ, ut docet Suarez. Dixi: Professi ad Chorum destinati; nam non obligantur Novitii, conversi Laici, Religiosi Societatis Jesu, antequam sint in Sacris, Religiosi Militarium Ordinum, &c.

3. Omnes Beneficarii, non solum ex Religione, ut supra dicti; sed etiam ex iustitia: quia sub hoc onere Beneficium eis collatum est, & ab iis acceptatum.

Hinc peccat mortaliter, qui ex prædictis uno die Officium totum, vel partem ejus notabilem omittit, sine justa, & gravi causa excusante; ut constat ex consensu Doctorum, & totius Ecclesiæ. Nam violat præceptum in re gravi, ad Religionem virtutem præstantissimam pertinente: Pars autem notabilis, & sufficiens ad mortale, juxta omnes, censetur una parva Hora v. g. Nona, vel quælibet pars Officii ei æquivalens: imò juxta varios media pars unius Horæ parvæ: Item qui interruptim per totum Officium omittit, quantum est integra Hora parva, peccat mortaliter; quia partes pertinentes ad unum totius diei Officium coalescunt moraliter in unum, & constant unam notabilem quantitatem.

Cæterum explicandus est in Confessione numerus Horarum omiffarum; quia omiffio plurium vel sunt plura numero peccata, vel unum pluribus æquivalens: & per plurium omiffionem faltem multum aggravatur culpa, & variatur iudicium de illa. Deinde numerus Horarum est quid fe tenens ex parte objecti, & conftituit peccatum in fuo efle individuali.

Q. 4. *Quænam requiruntur ad debitam recitationem Horarum?*

Resp. I. Quoad Officii qualitatem, ex Bulla S. Pii V. *Quod à nobis*, Sæculares & Regulares, tenentur fub mortali fervere formam Breviarii Romani; alioquin fuæ obligationi non fatisfaciunt. Excipiuntur Capitula, & Monafteria, quæ ducentis ante hanc Bullam annis habebant Breviarium particulare, quibus tamen permittitur ex Epifcopi, feu Prælati, & Univerfi Capituli confenfu assumere Romanum; qui autem ab hoc tempore habent Breviarium proprium fui Ordinis, vel Diœcefis fuæ, tenentur illud etiam priva im recitare; nam Bulla tales relinquit difpofitioni Juris communis, quod quemque obligat ad recitandum Officium fuæ Ecclefie, ex c. 13. & c. 14. dift. 12. & ex Clement. 2. de celebrat. Miffar. ubi Clemens V. permittit Clericis & Monachis, ut Officium

re-

recitare possint juxta formam Officii Cardinalium, aut Episcoporum, cum quibus vivunt.

Qui utuntur Breviario Romano, non obligantur extra Chorum ad Officium B. Virginis, nec ad Officium Defunctorum diebus in Rubrica præscriptis, ex Bulla citata. Tenentur tamen sub mortali ad Officium Defunctorum 2. Novemb. item ad Litanias in Festo S. Marci, & diebus Rogationum, si non intersint Processioni; nam ex communi sensu, & consuetudine censentur pars Officii illorum dierum, vel alterum Officium eodem die præceptum. In Ecclesiis verò, ubi erat consuetudo Officium parvum B. Virginis recitandi, hanc servari vult Pius V. ibidem.

Qui non utuntur Breviario Romano, ad ea omnia tenentur, ad quæ ante Bullam Pii tenebantur, nam à nulla re eximuntur per Bullam, & exceptio firmat regulam in casibus non expressis.

Tenetur autem quisque recitare Officium proprium diei, alioqui non satisfacit præcepto, licet aliud etiam æquè longum, v. g. Officium de Feria loco Officii de Sancto, vel contra recitaverit. Tum quia Ecclesia non Officium in genere, sed hoc Officium in individuo, seu Officium tale proprium hujus diei, prout hos psalmos, has preces, & lectiones continet, præcipit: cujus obligatio est tali diei affixa, & sic cum

eo transit. Unde quamvis substantia præcepti in genere sit de septem horis; tamen substantia præcepti in particulari pro tali die est de septem horis talibus, quæ scilicet constent talibus psalmis, lectionibus, &c. Tum quia Bulla Pii V. præcipit Officium diei juxta formam Breviarii Romani, ad quam pertinet distributio Officii per dies FERIALES, & Festos tempori accommodatos. Tum quia aliqua Officia de aliquibus Sanctis injunguntur de præcepto recitanda tali die, cum antea essent ad libitum. Ita S. Antonin. Tolet. Bonacin. Reginald. &c. Porro Alex. VII. damnavit hanc propos. *In die Palmarum recitans Officium Paschale, satisfacit præcepto.*

Hinc qui scienter Officium mutat, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem fructuum Beneficii, cum non satisfecerit etiam quoad substantiam præcepto recitandi Officium debitum, & ab Ecclesia præscriptum. Qui verò inadvertenter Officium aliud recitavit, tenetur eodem die Officium proprium persolvere, & recitare, quæ omisit, si sine gravi incommodo possit. Qui autem in aliquibus Horis erravit, ubi id advertit, tenetur supplere, quod omisit, & reliquas Horas legere juxta Officium eo die currens.

*Not.* Qui per errorem, etsi inculpabilem, hodie recitavit Officium crastinum, cras debet iterum idem Officium recitare;

*Tom. I.*

Kk

quia

quia per legem tale Officium pro tali die determinatum est. Item Officium de Sancto, die suo omiffum, secundam multos, non debet alia die non impedita recitari; quia Officia, sicut jejunia, diebus suis affixa sunt, & Rubricæ solum excipiunt casum, quo dies illi impediuntur altiori Festo.

*Resp.* II. Quoad tempus in recitatione publica servanda est recepta cujusque Ecclesiæ consuetudo. In privata verò ad vitandam mortalem culpam, sufficit, si recitetur Officium totum à media nocte usque ad alteram mediam noctem; quia in privata recitatione temporis variatio non est gravis inordinatio: & obligatio servandi tempus præscriptum, si quæ fuit gravis, imminuta est per consuetudinem in privata illa recitatione. Ita S. Antonin. 3. p. tit. 13. c. 4. ibi: *Non videtur de se esse mortale, quando cunque quis tarde dicat Officium, dum non transeat dies, qui quantum ad hoc, videtur terminari circa mediam noctem.* Imò ob justam causam v. g. iter, negotia, legitimam occupationem, licet in illa privata recitatione antevertere, vel protrahere tempus præscriptum, quod quidem ex consuetudine magnam habet latitudinem. Nam quod fit ex justa causa, rationabiliter, & prudenter fieri censetur. Sine causa tamen tempus debitum ac proprium notabiliter variare est veniale,

le, ut v. g. Si legas Primam, vel etiam juxta Layman Tertiam post meridiem, aut Vesperas ante Meridiem, exceptâ Quadragesimâ; quia est contra consuetudinem communem, & congruentem rationem temporis. Sexta, & Nona ante vel post meridiem dici possunt.

Ex consuetudine licet Matutinum cum Laudibus recitare pridie, ab eo circiter tempore, quo sol est proprius ad occasum, quam ad meridiem, ut videre est in Tabula de tempore inchoandi matutinum pro die sequenti Romæ editâ Typis Rever. Cameræ Apostolicæ. Secus de aliis Horis, quia consuetudo id non permittit; nec obligatio affixa diei potest impleri ante illum diem, cum ante illum diem nondum sit; & patet in aliis præceptis de jejunio, auditione Sacri, &c. Obligatio autem recitandi Officium est affixa diei in honorem, quem tali die Deo exhibere debemus juxta præscriptum Ecclesiæ. Deinde qui uno die omisit Officium, non tenetur illud alio die recitare, quia obligatio affixa diei transit cum ipso die: ergo nec potest diem prævenire, cum par sit ratio.

Secundum multos non est mortale extra Chorum celebrare Missam ante Matutinum, & Laudes: quia extra Chorum non est gravis obligatio ista præmittendi, nec est gravior inordinatio in inversione ordinis inter Matutinum, & Missam, quam in

inversione ordinis inter Horas ipsas, quæ solum venialis est, cum tamen major sit ordo inter ipsas Horas, quam inter eas, & Missam. Nec consuetudo præmittendi recepta est sub mortali, eò quòd nulla sit necessaria connexio, & dependentia inter Missam, & Matutinum. Certè si id sine causa justa fiat, est saltem veniale; nam est aliqua obligatio recitandi etiam privatim Matutinum cum Laudibus ante celebrationem Missæ. 1. Ob consuetudinem vim legis habentem. 2. Quia in Rubricis Missalis Romani inter defectus in Ministerio Missæ ponitur, quòd celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit. 3. Julius III. in Bulla *Sacra*. concedit Societati Jesu Privilegium postponendi Officium celebrationi Missæ *ex legitimis, & justis causis*, in quo onerat conscientiam Superiorum illud dispensantium: quod inane, & illusorium esset, si nulla foret obligatio.

*Resp.* III. Quoad ordinem, est veniale sine justa causa ordinem Horarum invertere, v. g. Tertiam ante Primam recitare, ut constat ex communi Doctorum sensu. Quia hoc est contra ordinem ab Ecclesia præscriptum, & ad modum præcepti pertinet ordo Horarum. Tenemur autem præceptum non tantum quoad substantiam, sed etiam quoad modum servare. Hæc tamen inversio extra Chorum non est mortal

talis

talis citra contemptum, quia præceptum observatur quoad substantiam, omnes Horas dicendo intra diem naturalem. Imò nec est venialis, si fiat ex inadvertentia, aut ex causa legitima, nec est obligatio repetendi, ut si quis ab ægro invitetur ad recitandas secum Vesperas, cum necdum Nonam persolverit; nam cum hic ordo, & modus non pertineat ad substantiam Officii, censetur Ecclesia permittere eum mutari, cum adest rationabilis causa.

*Resp.* IV. Quælibet Hora recitari debet continuatè; nam unitas uniuscujusque Horæ, & usus Ecclesiæ id exigunt. Deinde est aliqua irreverentia cœptam orationem sine causa interrumpere; si enim vituperabile est sermonem cum terreno Principe inchoatum sine justa causa abrumperè, à fortiori, si id fiat erga Deum Regem Regum. Facta tamen sine causa interruptio juxta multos est solum venialis in Officio privato; quia hic defectus non est in substantia, sed solum in modo accidentario; cum singuli Psalmi, lectiones & orationes per se suam habeant completam significationem. Quòd si subsit justa causa, ut si ex officio, vel obedientiâ, vel charitate aliquid faciendum occurrat, quod non possit commodè differri, tunc nulla culpa erit, nec repetenda priora, nisi pauca dicta sint; nam tunc rationabilis est interruptio.

Secundùm multos Matutinum licitè separatur à Laudibus : imò juxta aliquos unum Nocturnum ab alio per duas circiter horas. Sed videtur obstare præsens Ecclesiæ consuetudo contraria, & Azor ad hoc exigit justam, & rationabilem causam; quia tres Nocturni cum Laudibus habentur tanquam Officium unius Horæ, ac proindè simul recitari debent.

*Resp. V.* Quoad modum, Officium recitari debet *studiosè, & devotè*. Ita Conc. gener. Later. 4. cap. *dolentes*, de celebrat. Missar. ubi Clericis districtè præcipit *in virtute obedientia, ut Divinum Officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter, & devotè*. Studiosè, inquit glossa, quantum ad Officium oris, & devotè quantum ad Officium cordis. Enimverò hoc exigit vera, ac religiosa oratio, & laudatio Dei: itaque Officium recitari debet tum *studiosè*, hoc est integrè, & perfectè, absque præcipitantia, contractione, & abscessione syllabarum: tum *devotè*, id est, cum intentione orandi, ac laudandi Deum, & debita attentione mentis, ac reverentia tam interna, quàm externa.

Item pronuntiatio debet esse articulata, & sensibilis, seu per se audibilis recitanti, ita ut recitans seclusis impedimentis, se ipsum audire possit. Nam oratio vocalis, prout à mentali distinguitur, debet habe-

re sonum distinctum: omnis autem sonus est per se audibilis, cum sit objectum auditus. Ita *Medin. Navarr. Reginald. Sanchez, &c.*

*Q. 5. An ad satisfaciendum præcepto requiritur intentio, & attentio interna, & qualis?*

*Not.* Intentio hæc est volitio orandi, & laudandi Deum. Attentio duplex est, externa, & interna: attentio externa consistit in attentione ad prolationem verborum, ut distinctè, ac integrè pronuntientur, excludente omnem actionem impossibilem cum attentione interna, & evagationem sensuum circa objecta distractiva. Attentio interna est advertentia mentis vel ad sensum verborum, vel ad Deum, aut res divinas.

*Resp. I.* In recitatione Officii requiritur intentio, seu voluntas orandi, vel explicita, qua quis initio velit expressè orare, vel saltem implicita, qua velit recitare ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ; in hac quippe volitione implicitè includitur intentio Deum orandi, & laudandi, cum id, quod Ecclesia præcipit, sit laus Dei, & oratio. Nam cum recitatio externa Officii sit indifferens, ut sit oratio, studium, exercitium memoriæ, &c. debet ab intentione orandi tanquam à forma determinari, ut sit

oratio, & cultus Dei, qualis præcipitur: at verò recitatio Officii ex illa intentione, v. g. studendi, non est vera oratio vocalis, nec actus Religionis. Præterea oratio est locutio cum Deo: at non loquitur cum Deo, sicut nec cum homine, qui non intendit cum eo loqui.

*Resp. II.* Ad satisfaciendum præcepto requiritur quoque non solum attentio ad verba, ut distinctè, ac integrè pronuntietur, & quæ excludat omnem actionem incompossibilem cum attentione interna, ita, ut qui pingendo, scribendo, ludendo, comœdias spectando, fabulantes audiendo, &c. Horas memoriter recitaret, non satisfaceret præcepto: sed requiritur etiam attentio interna ad Deum, seu res divinas, vel ad sensum verborum, vel saltem ad verba, ut laudes Dei, orationem, & pias affectiones continentia, considerando Deum præsentem cum pio humilique ad ipsum affectu, & intendendo per illa Deum orare, ac laudare, atque omnem voluntariam distractionem rejiciendo. Ita *Azor, Layman, Valentia, Suarez* dicens hanc esse communem sententiam.

*Prob.* Quia I. præcipitur oratio vera, quæ sit actus Religionis gratus Deo, & utilis Ecclesiæ: at sine attentione interna oratio non est verus Dei cultus; nam omnis cultus Dei fieri debet in spiritu, & veritate, & non solo corpore. ex Jo. 4.

*Veri*

*Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate; nam & Pater tales querit, qui adorent eum. Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare. Nec est vera oratio, cum omnis oratio ex S. Damasceno sit ascensus mentis ad Deum; sed est quædam species hypocrisis, & simulatio orationis, ex Matth. 15. Hypocrita, benè prophetavit de vobis Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me. Neque est utilis: Clamor ad Dominum, qui fit ab orantibus, si sonitu corporalis vocis fiat, non intento in Deum corde, quis dubitet, inaniter fieri?* ait S. August. Ser. 29. in Ps. 118.

2. Cap. *Dolentes* sup. cit. præcipitur devotio simpliciter: at devotio externa sine interna excludente omnem distractionem voluntariam, non est devotio, sed simulacrum devotionis: sicut homo pictus non est verus homo, sed simulacrum hominis. Deinde hæc verba Concilii (*quantum eis Deus dederit*) significat devotionem indigentem gratiâ Dei, ideòque internam; nam solam externam possunt habere hypocritæ.

3. Conc. Trid. Sess. 24. c. 12. jubet, ut Officium recitetur *reverenter, distinctè, devotè*, quæ tria frustra addidisset, si præciperet tantum reverentiam externam. Et ideo multa Concilia, ut Trevir. II.

Burdigal. an. 1583. Bituric. an. 1584. Narbon. & Conventus Melodun. disertè præcipiunt, ut Officium recitetur *attentè, & devotè*; & Conc. Coloniense *elevatè mente in solum Deum*. Item Clerus Gallican. an. 1700. ut absopam, & verbo Dei contrariam damnavit hanc propos. *Præcepto satisfacit, qui voluntariè labiistan- sum, non autem mente orat.*

Hinc peccat mortaliter, qui per notabilem Officii partem voluntariè distrahitur, perinde ac si partem illam omitteret; cum recitatio sine attentione debita non sit recitatio Religiosa, quæ præcipitur, nec vera oratio. Item peccat, qui recitat in loco distractionibus exposito, v. g. in foro publico, vel loco, ubi est frequens concursus, clamor, aut strepitus profanus hominum, aut ubi habentur disputationes, ut expressè docent Bonac. Castropal. &c. Nam cum teneatur ad attentionem internam, tenetur etiam ad removenda ejus impedimenta; & aliàs voluntariè se exponit periculo non attendendi.

*Dices.* Ex his sequitur, quòd distractio voluntaria in oratione non præcepta vacet culpâ; quia per illam destruitur substantia orationis vocalis, & sic tunc solum cessat oratio. *R. neg.* Quia est irreverentia contra Deum, exterius Deum alloqui, ac profiteri se Deum colere, & id non facere interius, sed alia animò volvere, estque simu-

simulatio cultûs Divini. Est etiam irreverentia orationem inchoatam sine causa interrompere.

*Not.* Sufficit attentio virtualis, quæ est attentio ad Deum, resve divinas initiô orationis habita, & virtualiter perseverans in processu orationis, quamdiu non revocatur, neque expressè per volitionem expressam non amplius attendendi, neque implicitè per distractionem voluntariam, ut si advertens te distrahi, mentem non revoces ad Deum, vel res divinas; nam cum attentione illa virtuali subsistit vera oratio, & actus humanus Religiosus, & sæpe attentio actualis non est in nostra potestate. Hinc non teneris repetere, quæ involuntariè distractus recitasti, cum virtualiter attenderis. Imò melius est, si non repetas, ad vitandam anxietatem, & perturbationem in recitatione Officii. Sed ubi quis advertit se distrahi, tenetur mentem statim revocare ad Deum, resve divinas, vel ad sensum verborum.

*Q 6. An satisfacit, qui legit cum socio extra Ecclesiam?*

*Resp. Aff.* Quia id congruit cum publico usu Ecclesiæ, & recitantes sibi commune faciunt, quod alternatim recitant. Sed tunc singuli debent alternos Psalmorum versus distinctè, & integrè, & voce audibili

bili à socio recitare ; ita ut unus non legat suum versum priusquam alter integrè absolverit suum, & audiatur ab alio. Nam socius non communicat in parte, quæ anticipatè dicitur, & quam non audit; & sic non potest attendendò illam facere suam: ideòque tenetur supplere, antequam suam ipsè partem recitet; non enim satisfacit præcepto nisi devotè, & attentè recitando partem Officii, & aliam audiendo. Si plures quàm Duo simul legant; debent, factò solùm duplici Choro, alternatim recitare, sive plures sint ex una parte, sive pauciores; aliàs fieret contra usum Ecclesiæ. Secus est de lectionibus, quarum primus primam, secundus secundam, tertius tertiam legere potest.

*Q. 7. Quanam excusant à lectione Horarum.*

*Resp. Sequentia. 1. Gravis infirmitas, ita ut sine notabili incommodo, seu nocumento, vel incremento morbi, aut periculo gravi recitari nequeant. ex c. 3. Dist. 91. In dubio ex communi sententiâ consulendus est Medicus probus, & peritus, & illius iudicio standum: quia ratione officii, & peritiæ in arte hoc iudicium ad illum pertinet. Si ipse dubitet, opus est tunc dispensatione Superioris: qui si adiri nequit, & Medicus suspicetur grave nocumen-*

mentum sequi posse, docent tunc ægrum excusari, quia Ecclesia non obligat tunc ad se exponendum periculo gravis damni. Qui autem non potest recitare solus, sed potest cum socio, ad hoc tenetur, si socium commodè habere queat, quia sic potest moraliter observare præceptum; & obligatus ad finem, eo ipso obligatur ad usum mediorum saltem faciliè comparabilium. Imò Suarez, Bonacina, & alii docent, Beneficiatum tunc teneri conducere socium, cum quo recitet, si sufficientes ad hoc fructus ex Beneficio colligat: quia fructus illos percipit, ut Officium persolvat, & per illos potest sibi comparare medium persolvendi.

2. Gravis & repentina occupatio, quæ sine scandalo, vel notabili damno proprio, aut alieno omitti vel differri nequeat. Nam Ecclesia non præsumitur velle obligare cum tanto gravamine. Quando tamen aliqua occupatio, vel ægritudo impedit, vel impeditura prævidetur tempore legitimo, tunc est obligatio anteponendi vel postponendi Horas intra eandem diem: quia obligatio cadit in totum diem, & durat per singulas ejus partes, potestque impleri quoad substantiam quavis illius hora. Ergo si una pars diei est impedita, dici debet Officium quavis alia.

3. Re-

3. Recitandi impotentia, ut cœcitas, vel carentia Breviarii inculpata, si aliud haberi nequeat: nam nemo tenetur ad impossibile. Quo casu si totum Officium, aut parva hora memoriter dici possit, dici debet: nam generaliter loquendo, qui non potest totum Officium recitare, sed potest partem ejus notabilem, vel unam parvam Horam, v. g. Primam, vel Tertiam, aut Completorium, ad eam sub mortali tenetur: tum quia Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes; potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Tum quia hoc præceptum obligat ad omnes, & singulas Horas, & quævis Hora est per se oratio Canonica integra, ab aliis distincta, confertque notabiliter ad finem præcepti. Porro carens Officiô particulari tenetur recitare Officium commune, vel simile.

4. Legitima dispensatio Papæ. Aliqui docent ex usu ubique recepto Episcopos, & Superiores Ordinum posse dispensare cum suis subditis ad breve tempus, in dubio de morali impotentia recitandi: & hoc videtur necessarium ad tollendas perplexitates, & impediendum grave nocuum.

